

personæ, Judæi vel Græci.

Vocatis sanctis. Sanctis vocatione Dei, non meritis facti. Item idcirco dicit, sanctis, quoniam gratiam Spiritu sancti habentibus prædicabat.

Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo. Talis est ubique salutatio ejus, ut & commemoret in nobis beneficia Dei, & optet in nobis integra permanere: quia & gratis nobis peccata dimissa sunt, & reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus. Commonet etiam pacificos esse debere, unam eandemque gratiam consecutos.

Primum quidem gratias ago Deo meo. Natura, Deus omnium est: merito & voluntate, paucorum, ut Deus Abraham: secundum quod hic suum nominat Deum.

Per Jesum Christum pro omnibus vobis. Hoc est, non pro Judæis solis.

Quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Ostendit quomodo Romanorum fides omnibus Ecclesiis cognita sit: Vel certe quod eadem fides quam Romani tenent, in universo mundo ab Apostolis prædicetur. Item prudenter laudat, ut provocet ad profectum: Sive quia omni mundo mirum fuit Romanos credidisse, qui idolorum nimia fuerant cultura possessi, ita ut omnium gentium diis quas vicerant deservirent. Sed & simpliciter eorum fidem laudasse credendum est, cujus nunc devotio demonstratur.

Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritum meo in Evangelio filii ejus. Hoc est, in toto corde meo, & prompta devotione mea deservio. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Sive verbum hic spiritum nominavit, ut est illud: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Hic ostendit se omnia ex dilectione dicturum, ut liberius audiat: & dat exemplum sine intermissione orandi.

Obsecrans. Qua liberatione ad vos quandoque perveniam in voluntate Dei. Aliter enim prosperum iter non habeo, nisi me voluntas Dei, quæ omnia novit, illuc direxerit, ut aliquem habeam fructum. Unde in Actibus Apostolorum legitur, eos alio ire volentes, alio destinatos, sive secundum illud Jacobi: Si Deus voluerit, & vixerimus, faciemus hoc vel illud.

Si quo modo tantum aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Demonstrat se cuncta quæ agebat, ex Dei gerere voluntate.

Desidero enim videre vos. Hic ostendit quomodo eos superius laudaverat, qui ad confirmandum aliquid gratiæ indigent spiritualis.

Ut aliquid imperari gratiæ vobis spiritualis ad confirmandum vos. Romanos Petri prædicatione fidem tenentes confirmare se velle Paulus dicit: non quo minus accepissent à Petro: sed ut duobus Apostolis, testibus atque doctoribus, eorum roboretur fides.

Id est simul consolari in vobis per eam quæ invicem est fides vestra atque mea. Ut per communem fidem invicem consolemur.

Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpe proposui venire ad vos. Per commentes autem fratres audire potuistis.

Et prohibitus sum usque adhuc. Ostendit se occupatum necessitate Evangelii prædicandi, Romam adhuc ire non posse. Item prohibitus hic occupatus accipitur: dum aliis provinciis prædicaverit: sicut ipse exponit in fine Epistolæ suæ dicens: Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos.

Ut aliquem fructum habeam in vobis. Mercedem laboris sui nominat fructum.

Sicut & in cæteris gentibus. Subauditur, habeo.

Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Sapientes, Græcos philosophos: barbaros, insipientes appellat.

Itaque quod in me promptum est, & vobis qui Romæ estis evangelizare. Qui Romæ estis: atque insipientibus ut Græcis evangelizare vult.

Non enim erubescio Evangelium. Rectè dicit non se erubescere prædicationem crucis, quæ credentibus Dei virtus est in salutem. Item hoc ad taxationem subtiliter pertinet paganorum: qui cum non erubescant credere Deum suum Jovem propter inanem libidinem, in animalia irrationabilia, & insensibilia esse mutatum: nobis erubescendum pu-

tant Dominum propter salutem perditum hominis credere crucifixum: cum in altero horrendum sit dedecus, in altero admiranda pietas atque virtus. Simul & illos hereticos tangit, qui hæc tanquam indigna Deo refugiunt, ut hominem indueret, quem pro salute humani generis passioni traderet: non intelligentes nihil dignius creatori quam creaturæ suæ curare salutem: maxime cum ipse per hoc naturæ detrimentum quasi impassibilis sentire non possit.

Virtus enim Dei est, in salutem. Nulla major virtus est quam quæ devicta morte homini perditio reddit vitam.

Omnis credenti. Quamvis infirmitas videatur incredulis.

Judæo primum & Græco. Sive quod justum fuerit: ut quomodo Abraham credens ex gentibus per solam primam fidem salvatus est: ita cæteri credentes salvarentur. Sive quod illud testamentum quod per legem Deus verax promiserat, debuerat exhibere.

Justitia enim Dei in eo revelatur. Ostendit ex fide uniuersumque nostrum, prædicationis fidem posse roborari.

Ex fide in fidem. Sive quod ex fide justificatur Judæus, & in fide gentilis. Et ideo expofuerit ut catalogiæ vitium declinaret.

Sicut scriptum est. Non ex operibus legis.

Filius autem ex fide vivit. Propterea hoc dicit: quia sine fide, hoc est, sine spe retributionis bonorum operum, perficere virtutes nemo poterit: sicut & ipse ad Hebræos perhibens docet: Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est: & iniqui retribuitur se remuneratorem sit.

Revelatur enim ira Dei de cælo. Si dicentibus Manichæis crudelis asseritur Deus veteris Testamenti, quia super peccatores vindictam inducat: quomodo hoc loco ab Apostolo dicitur à Deo novi Testamenti vindictam impiis hominibus inferendam? Unde monstratur unum eundemque Deum esse novi & veteris Testamenti. Item incipit ad partem gentium loqui, dicitque Dei iram per Evangelium revelari sive per naturæ testimonium: noverunt enim homines, & beneficia, & plagas expectare de cælo.

Super omnem impietatem, & injustitiam hominum. Tres esse videntur impietates. Prima & maxima in Deum, quæ aut per blasphemiam, aut per idololatriam admittitur. Secunda, in parentes, aut injuria aut contemptus: sicut scribitur in Levitico: Si quis dormierit cum uxore patris sui, morte moriatur: ambo impietatem fecerunt. Tertia, in extraneos, ut est illud: Et tu remisisti impietatem cordis mei. Et plura alia, quæ enumerare perlongum est. Sive omnis impietas, ad diversas idolorum culturas referenda est: ut impietas quasi ad injuriam Dei, injustitia verò ad omnia peccata pertinere videatur.

Eorum qui veritatem Dei in injustitia derinent. Veritatem nominis Dei injustitia indigna materiam detinente dolorem. Item scientes delinquant, qui Dei veritate agnita injustè agunt.

Quia quod notum est Dei. Ostendit quomodo omnis homo naturalem habens intellectum, agnoscat esse insequendam substantiam invisibilem, quæ diversas in hominibus artes & disciplinas operatur. Quo etiam exemplo invisibilis Deus manifestatur hominibus, ex his operibus quæ operatus est & operatur: simul & mens Trinitatis demonstrat imaginem, in qua generat inficium sibi verbum, & inseparabilem habet sibi metum natum verbum sapientiam. Item quod potest naturaliter scire de Deo quod sit, & quod justus sit.

Manifestum est in illis. In conscientiis eorum. Omnis namque creatura Deum se nosse testatur: & ab alio factam judicat: cujus voluntati sibi parere necesse sit. Si enim Deus summum magnum est, invisibilis, incomparabilis, incomprehensibilis, inæstimabilis: & qui super omnia sit: id est, cui neque præponi aliquid, neque possit æquari: sive magnitudine, sive claritate, vel potentia: manifestum est hoc nulli creature posse competere, quæ & oculis videtur, ratione colligitur, & æstimatione judicatur. Major autem omnibus per omnia nulla est creatura: quia omnes se alterutrum vincunt. Alia enim magnitudine, ut cælum, terra. Alia claritate, ut sol, luna vel stella. Alia altitudine: ut mare. Ita ergo pervidetur quia nullum elementum sit Deus. Quod autem facta sint mutabilia eorum quæ non potest cadere in æternitatem demonstrat. Quod verò non seipsa fecerint, manifestum,

manifestum est: quia si se ipsa fecerunt, jam erant antequam fierent, ut se facere possent: quod valde absurdum est dicere. Cum verò variant, & ordines suos permutant: & alterutrum cedunt: ostendunt se ab uno auctore facta, & non suam, sed Domini sui facere voluntatem: cujus transgredi non possunt imperium.

Deus enim illis manifestavit. Virtus enim ejus occulta, ex his quæ palam sunt æstimatur. Si enim ea quæ videntur, tam præclare ab eo facta sunt, ut quidam illa Deos putarent, & æterna esse tentarent: quanto magis factorem sempiternum & omnipotentem, & immensum esse intelligere poterunt: secundum sapientiam librum dicentem: Ad cujus magnitudinem, creaturarum comparata, poterit horum creator videri &c.

Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Tam evidenter intellecta sunt: ut suspecta dicantur.

Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum. Sive per naturam, sive per facturam, & rationem.

Non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Pro eo quod tales facti sunt, ut Deum possint agnoscere si velint.

Sed evanuerunt in cogitationibus suis. Putantes se Dei magnitudinem in cogitatione posse comprehendere, evanuerunt in naturali sopore, creaturas pro creatore venerati.

Et obscuratum est insipientium cor eorum. Recedentes à lumine veritatis.

Dicentes enim se esse sapientes. Quasi qui invenissent quomodo invisibilis Deus, per simulachrum visibile coleatur.

Sunt facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem. Non intelligentes nullam similitudinem habere mortale immortalis, & incorruptibile sempiterni.

Imaginis corruptibilis hominis: & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Non hominis solum sed imaginis hominis: & non hujus tantum, sed etiam animalium. Hic Jovis cultores appellat, qui cum propter amores sædissimos in ista asserunt transformatum: & idcirco se illi tales imagines consecrassent, in quibus libidini satisfecit.

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. In hoc quod Deus tradidisse dicitur propriis desideriis peccatores, ostendit non quod ipse sit causa, sed quod per longanimitatem, & patientiam non inducendo vindictam, patitur eos secundum cordis sui agere voluntatem: hoc facit volens eos ad penitentiam converti. Item tradere in scripturis dicitur Deus, cum non retinet delinquentes propter arbitrii libertatem: sicut in psalmo dicit: Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.

In immundiciam. Quæ est in turpibus ministeriis idololorum.

Ut contumeliis afficiant corpora sua. Dum sibi in sacramentis eorum, cauteria & combustiones infligunt.

In semetipsis. Ut quasi amentes ipsi in se, suorum sint vindices delictorum.

Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium. Commutaverunt verè Dei cultum in mendacium idololorum, quæ falsò prodigiis coluntur: & quodammodo stultici mentiuntur esse quod non sunt.

Et coluerunt & servierunt creatura potius quam creatori. Non solum dilexerunt, sed etiam servierunt: sed quicumque alicujus creaturæ cupiditate vincitur, ipsi servit. A quo enim quisque superatus est, hujus & servus est:

Qui est benedictus in sæcula: amen. Cui si servissent, fieri benedicti in sæcula potuissent. Qui enim fecerit voluntatem Dei, manet in æternum: sicut ipse manet in æternum.

Propterea tradidit illos Deus in passionem ignominie. Propter causas superius memoratas, in his flagitiis sunt dimissi.

Nam fœmina eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Omnia perverterunt in Deum perverſi. Neque enim ordinem naturæ servarunt: qui naturæ dereliquerunt auctorem. Infandorum enim idololorum cultura, omnis mali causa est, initium & finis.

Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœmine.

Tom. V.

na, exarserunt in desideriis suis in invicem masculi in masculos turpitudinem operantes. Effrenata libido modum servate non novit.

Et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Sic cucurrit ordo, ut qui Dei oblitus erant, nec seipsos agnoscerent.

Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia. Non nescierunt, sed minimè probaverunt. Ille enim probat se Deum habere in notitia, qui semper illum in præsentem habens, peccare non audeat.

Tradidit illos Deus in reprobam sensum. Non reprobandi sunt traditi in reprobam sensum.

Ut faciant ea quæ non conveniunt. Homini facere.

Repletos omni iniquitate, malitia. Iniquitatem & malitiam, principales causas ostendit vitiorum esse.

Fornicatione, avaritia, nequitia. Fornicationem autem, & avaritiam simul junxit: quia utriusque penè idololatria comparatur nequitia.

Plenos invidia, homicidiis. Pulchrè invidiam homicidio sociavit: quia prima hujus criminis, ipsa materia est.

Contentione. Contentio est, ubi non ratione aliquid, sed animi pertinacia defenditur: & ubi jam non veritas queritur, sed proximus fatigatur.

Dolo. Occulta malitia, blandis sermonibus adornata.

Malignitate. Malignitatis votum, vel opus, malignitas appellatur.

Sufurrone. Murmuratores, non in faciem, sed in aurem loquentes.

Derisores, Deo odibiles. Nihil est enim tam odibile Deo, quam idololatria: cui per similitudinem eradicandi pœna detractionis scripta conjungitur.

Contumeliosos. Qui veloces sunt in verbis injuriæ.

Superbos, elatos, inventores malorum. Qui vult supergredi quod est, superbus est, sicut diabolus perdit seipsum quod est. Qui enim super alios vult esse, hic infra se hiet: & ideo sequitur inventores malorum: quia semper superbia excogitat & invenit mala, sicut author superbiæ per elationem suam invenit sibi malum, quod ante non fuerat. Elatus autem dicitur, qui effertur super mensuras suas.

Parentibus non obedientes. Veri parentes sunt, qui per sermonem verbi generant in lucem filios ad vitam æternam.

Insipientes, incompotios. Qui à fonte sapientiæ recesserunt, necesse est ut inordinatè ferantur.

Sine affectione absque fœdere. Affectio est adimpletio charitatis.

Sine misericordia. Quomodo aliis poterant misereri, qui in se misericordes esse noluerunt: Hæc omnia per ordinem digesta peccata, de illis dicuntur, qui derelinquentes Deum, ab eo vicissim sunt derelicti. Caveamus ergo & nos ne quod malum ex his habentes, similiter relinquantur.

Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Hic ostendit quomodo unusquisque hominum scit à Deo secundum actus proprios judicandum: in quo & ipse alium hominem peccantem judicat atque condemnat. Item cum ex eo sibi quisque displicet quod fecerit malum, Dei justitiam cognovisse dicitur: non intellexerunt tales ab eo, & si non præsentem, tamen in futuro esse puniendos. Si enim intellexissent, utique talia committere timuissent.

Non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Ne quis diceret: hæc non omnia se fecisse: addidit, qui consentiunt facientibus: Sed & qui in istis non consentit qui judicabant hujusmodi: tamen idololatriæ consentiendo, quæ omnium horum caput & causa est omnibus consentisse videbatur.

Caput II.

PROPTER quod inexcusabilis es à homo omnis qui judicas. In quo enim alterum judicas, teipsum condemnas. Eadem enim agis que judicas. Omnes hujusmodi qui judicabant, maxime tamen hi qui habent in reprehendendo judicium judices & Domini conveniuntur. Naturali enim iudicio dignam factis profert unusquisque sententiam: omnesque noverunt, & innocentiam mereri præmium, & malitiam habere supplicium.

Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem, N n n

in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc o homo omnis qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea: quia tu effugies iudicium Dei? Secundum veritatem erit iudicium, quo iudicabuntur huiusmodi qui non condemnare in aliis potuerunt quae ipsi committere non timerunt. Si enim tu peccator, peccatorem tibi similem iudicas; quanto magis Deus iustus te iudicabit injustum? ne illi mala placere, & displicere bona forsitan videantur: Quippe quem sine personarum acceptatione, nec amicis suis, nec angelis legitimus pepercisse peccantibus. Humanum autem iudicium multis modis corrumpitur. Amore, odio, timore, avaritia sepe iudicii integritas violatur: & contra iustitiae regulam interdum misericordia inclinatur.

Andivitas bonitatis ejus & patientia, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Hic aperte monstratur quare peccatori desideria cordis sui dimiserit Deus: & cum possit prohibere peccantem, vel inferre vindictam, mavult converti ad poenitentiam. Item nunquid propterea tibi de impunitate blandiris, quia Deus in presenti non reddit: & tu longitudinem temporis, & abundantiam bonitatis intuens, putas jam non esse iudicium? Audi scripturae sententiam: Non tardat Dominus promissis, sed patienter agit propter vos nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam converti. Bonus est expectando, iustus est puniendo. Unde admonet Propheta: Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: subito venit ira ejus, & in tempore vindictae disperdet te. Et iterum, Ne dixeris, peccavi: & quid accidit mihi triste: est enim altissimus patiens redditor. Multj se homines per patientiam Dei seducunt: quia non vult statim punire peccantes: putatur enim aut res humanas minime curare, aut culpas indulgere quia differt. Plerique etiam contra se calumniantur, cur in presenti non reddit: non intelligentes quod si ita fieret, nullus penè hominum remaneret: nec unquam de injustis fierent iusti. Ideo autem hominibus videtur Deus diu expectare peccantes: quia nos cum parvi temporis finis, annos centum aeternitatem putamus. Ille autem apud quem mille anni pro uno sunt die, centum annos unius horae suae spacio non coaequat: quapropter hoc parvum est apud eum: cum etiam homines soleant multo tempore correptionem sperare peccantium.

Secundum autem duritiam tuam, & impoenitens cor. Tu autem imprudens aeger, ad vulnera major abuteris ipso remedio: quia juxta sententiam beati Job: poenitentiae loco abuteris in superbiam. Unde non agnita pietas majus tibi iudicium parat: ut vindictam sentiat qui misericordiam sentite contempsit. Iterum, omne enim cor quod non sentit, induratur. Hoc enim modo induravit Deus cor Pharaonis.

Thesaurizas tibi iram in die irae, & revelationis iusti iudicii Dei: qui reddit unicuique secundum opera ejus. In diem iudicii, iram tibi super iram ipse condidit: qui die definito, & certo tempore apparebit.

Hic quidem qui secundum patientiam boni operis. Boni operis merces per patientiam expectatur: quia in presenti vita non redditur. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Et tunc erit perfectum opus, si in finem usque duraverit: quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Gloriam & honorem, & incorruptionem. Gloriam, qua sancti fulgebunt ut sol. Honorem, filiorum Dei quo nihil est majus: per quem etiam angelos iudicabunt. Incorruptionem vitae perpetuae.

Quaerentibus vitam aeternam. Qui per patientiae opera quaerit vitam aeternam: ista omnia consequitur. Et qui habet hanc spem, in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

His autem qui sunt ex contentione. Audiant qui saepe videt, animositate contendunt, & timeant in consuetudine pessima permanere, ne ista omnia super eos deputentur: Jam superius dictum est, contentiosum hunc esse specialem, qui aliquid contra conscientiam suam nititur defendere.

Et qui non acquiescunt veritati: credunt autem iniquitati. Evangelicae veritati non credunt, & contentiunt iniquitati, ut relicto creatore, deserviant creaturae.

Ira & indignatio. In iudicio poenae sunt. Tribulatio & angustia. Conscientiae & instructioe poenitentiam.

sentiae, sicut scriptum est: Tunc dicent intra se poenitentiam agentes, & per angustiam spiritus gementes. Item hucusque sermo dirigitur ad omnes naturali obnoxios legi: In quo etiam Judaei pariter continentur. Idcirco autem Judaeus gentili antefertur: quoniam praeter naturalem legem, & Moysi legem scriptam habet.

In omnem animam hominis operantis malum: Judaei primum & Graeci. Animae poenam Apostolus comminatur, propter haereticos, qui solam carnem delinquere dicunt: & animam negant posse peccare. Sive anima pro toto homine dicitur: Sicut in Genesi: Jacob cum septuaginta animabus Aegyptum introisse refertur.

Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum. Gloria contrariam, honor contra indignationem. Et quod supra incorruptionem, hic pacem appellat.

Judaeo primum & Graeco. Quod supra animam, hic hominem nominavit. Primum autem pro quidem ponit. Sive primum credulitatis tempore, non honore.

Non enim est personarum acceptio apud Deum. Ergo nec gentes sibi de ignorantia fallae: nec Judaei de legis circumfisione, & privilegio blandiantur.

Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur. Sine lege literae, in lege naturae: hoc loco, peribunt & iudicabuntur: unum voluit intelligi: quia & qui perit, per Dei iudicium perit: & qui iudicatur, peccator perit: sicut scriptum est: quia peccatores peribunt. Nam & similes illos facit dicendo: Non auditores tantum legis iustos esse, sed factores. Et paulo inferius dicit gentes in die Domini iudicandas. Quis enim dubitat tam sub lege positos quam sine lege degentes, nisi Christum crederint, perituros?

Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Reddit rationem quare non sint gentibus meliores. Unde & nobis timendum est, ne audientes legem & non facientes, cum gentibus pereamus: sicut ipse alibi dicit: Ne cum hoc mundo damnemur.

Cum enim gentes qua legem non habent. Ne quis forte diceret, legem non habent: ad quam formam poterunt iudicari.

Naturaliter ea qua legis sunt faciunt. Sive de his dicit, qui naturaliter iusti fuerunt ante legem: sive qui etiam nunc boni aliquid operantur.

Ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Ostendit illos non esse sine lege, ut & gentes inexcusabiles faciat, & Judaeis de proprietate gloriam tollat.

Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Natura agit legem in corde per conscientiae testimonium: sive conscientia testatur legem habere timendo, dum peccat: & videtur gratulando peccatis, etiam si nullum hominum vereatur ipse qui peccat.

Et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die cum iudicabit Deus oculos hominum. Dicit altercationes cogitationum esse, cum quid faciendum, vel non faciendum diutina deliberatione decernimus: & secundum hoc nos in die Domini iudicandos: quia bonum malumve non ignorasse probamur. Sive conscientia, & cogitationes nostrae erunt in die iudicii ante oculos nostros, tanquam quaedam historiae cognoscendae: aut ipse nos accusabunt, aut etiam excusabunt, sicut scriptum est: Arguam te & statuiam eam contra faciem tuam.

Secundum Evangelium meum, per Jesum Christum. Secundum quod annuncio, per Jesum Christum iudicabit Deus.

Si autem tu Judaeus cognominaris. Hic convertit se ad Judaeos, docens opere non nomine tantum debere esse Judaeum: eumque esse verum cuius occulta sunt bona.

Et requiescis in lege. Confidis vel securus es.

Et gloriaris in Deo: & nostri voluntatem ejus. Gloriaris te solum nosse Deum, ejusque voluntatem agnoscere.

Et probas utiliora instructus per legem. Eligis majora, & inter minora discernis. Quae enim per naturam utiliora probantur, utiliora sunt per legem.

Confidis te ipsum esse ducem caecorum. Quorum cor obsecratur est.

Lumen eorum qui in tenebris sunt. Ignorantiae. Eruditorem insipientium. Qui Dei non habent sapientiam.

Magistrum infantium. Parvulorum aetate, vel sensu. Habentem formam scientiae, & veritatis in lege. Ad quam semper respiciens, errare non potes.

Qui ergo alium doces, te ipsum non doces. Similiter gentibus dixerat: Qui enim alium iudicas, te ipsum condemnas? Qui in lege requiescis o Judae quare transgredieris legem? Qui gloriaris in Deo: quare in honoras Deum? Qui noli voluntatem ejus: quare non obtemperas ejus voluntati? Qui probas utiliora: cur inutilia sectaris? Dux caecorum, quomodo viam non vides rectam? Si enim videres: per ipsam utique ambulares. Si lumen es aliorum, cur non abjecis opera tenebrarum? Eruditor insipientium, ut quid timorem Domini qui est initium sapientiae, reliquisti? Magister infantium, quomodo puer es in sensu? Qui habes formam scientiae veritatis in lege, quare nec ipse sequeris, nec alios qui pessimo exemplo permittis? Quare non convenit vita tua doctrinae tuae, & opus tuum destruit fidem tuam? Unde fiet ut lex a te non custodita, non solum tibi nihil proficit, sed etiam majoris criminis reum, suum contemptorem obtimeat.

Qui practicas non furandum, furaris. Quidam dicunt, abscondendo ab hominibus furaris Christum.

Qui dicis non mactandum, mactaris. Non est una mactia. Nam omne quod Deo debet anima, si aliqui praeterquam Deo reddiderit, mactatur.

Qui abominaris idola, sacrilegium facis. Sacrilegium est quod proprie in Deum committitur: quasi sacrosancti violatio. Item in hoc, inquit, in quo committis sacrilegium, idololatra esse monstraris.

Qui in lege gloriaris, per prevaricationem legis Deum in honoras. Exponit sacrilegium, quia dicit:

Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes: sicut scriptum est: In Isaia: Praeposterato ordine ante posuit testimonium quam diceret, scriptum: Ita enim dicentis sermo dilapsus est, ut quod ex propria intentione dicebat: eodem sensu scriptum repererit. Vel revera, quorum injustis actibus nomen Dei fuerat blasphematum: sicut scriptum est: Polluerunt nomen meum inter gentes: dum dicuntur populus Dei, inter quas gentes captivi, suis peccatis facientibus morabantur. Item, sicut ait: Per bona opera vestra benedicitur Deus: ita nunc non recte conversantibus blasphematur.

Circumfisionis quidem prodest si legem observes. Si autem prevaricator legis sis, circumfisionis tuae praepitium facta est. Quomodo nihil est si prodest: Prodest tempore suo signum: prodest si iustitia (cujus est signaculum) addit. Caterum sine illa superfluum erit: sive quia vivere faciebat Judaeum, & infantia exterminari antequam sciperet: sive quia in lege faceret esse: quia perspecta invenitur carnis circumfisionem cessante, veram illam cordis esse venturam. Et prevaricator legis est, dum non sequitur id quod ibi praedictum est.

Si igitur praepitium iustitiae legis custodiat: nonne praepitium illius in circumfisionem reputabitur? Visibilia indigent invisibilibus, invisibilia non indigent visibilibus, eo quod visibilia imago sunt invisibilium: & invisibilia, veritas sunt visibilibus: ideo circumfisionis carnis, indiget cordis. Circumfisionis autem cordis, non indiget carnis: quia imagine non indiget veritas: imago autem indiget veritate. Queritur sane: quare sit data circumfisionis, si per se ipsam non prodest. Primum, ut agnosceretur Dei populus inter gentes. Denique quando soli erant in eremo, circumfisionis non fuerunt. Sive ut corpora eorum agnoscerentur in bello. Nam quod in tali membro signantur, haec causa est. Primum ne aliud membrum aut debile fieret, aut turpe, quod publice videretur. Iterum, propter gratiae promissionem, in qua erant per castitatem placituri. Sive ut Christus significaretur ex ejus semine nasciturus, ad quem futura erat ista carnalis, quae spiritali habebat afferre: Cujus typum gerens Jesus Nave, populum secundum circumcidere jubetur.

Et iudicabit id quod ex natura est praepitium, legem consummans, te, qui per literam & circumfisionem prevaricator legis es. Sive dum literam circumfisionem sectaris, circumfisionem spiritus accipere dedignaris: sive non sequendo quod lex dicit: hoc est ut Christo credens, veram circumfisionem acciperis.

Non enim qui in manifesto Judaeus est: neque qui in manifesto in carne est circumfisionis: sed qui in abscondito Judaeus

Tou. V.

est. Ipse est verus. Omnia enim quae antea circa exteriorem hominem gerebantur, figuram interioris habebant.

Et circumfisionis cordis. De qua scriptum in lege est: In novissimis diebus circumcidet Deus cor tuum & cor seminis tui, ad Dominum Deum tuum amandum. Et iterum: Circumcidite vos Deo vestro, & circumcidite praepitium cordis vestri.

In spiritu non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Non secundum literam legis, sed secundum novum Testamentum: quod interiora quarit, quae solum videt Deus.

Caput III.

QUID ergo amplius est Judaeo: aut quae utilitas circumfisionis? Multum per omnem modum. Ex persona Judaei interrogantis dicitur: respondente Apostolo, multum quidem secundum omnem modum. Ideo autem multum interest: non quia circumfisionem in carne acceperunt, sed quia credita sunt illis eloquia Dei. Item reddit rationem quod lex contempta non proficit: & quod carnalis circumfisionis praerogativa, nullis operibus fulta, sit vana. Interrogat quid amplius habeat Judaeus. Ex cuius persona respondetur: Multum per omnem modum. Nam si ipsius sensus est: multum per omnem modum: & omnis homo mendax: quomodo postea contravenit, dicens: Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus? Absit, &c. Postremo, quomodo Judaeus nihil amplius habere confirmat, si hic multum habere commemorat.

Primum quidem: quia credita sunt illis eloquia Dei. Hoc estis dicturi: primum, quod credita sunt illis eloquia Dei: & gentibus nulla.

Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Fidem promissorum, cum sit dictum Abrahae: Quia in semine tuo benedicentur omnes gentes.

Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Hic omnis, pro maxima parte dicit, sicut: Omnes sua quaerunt. Et omnes me dereliquerunt, Lucas est mecum solus.

Sicut scriptum est: Ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. In psalmo quinquagesimo. Hoc testimonium ita posuit pars adversa, quasi diceret: Propterea ego peccavi. ut tu iustus appareas, me iudicando. Sed verus sensus sic se habet: quia promiserat se Deus sine personarum acceptatione in peccantibus vindicare: & quidam ejus patientiam mendacium iudicabant: vincit cum iudicaverit, quando eorum facta puniet: in quibus nemo putaverat vindicari. Aliiter: Probasti te curam de hominibus habere: qui per Prophetam mea abscondita revelasti, & viciisti eos qui te incuriosum humanorum actuum esse confingunt. Hucusque obiectio currit: jam incipit Apostolus respondere.

Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus. Iniquum est, si in illis vindicat, qui ideo peccaverunt, ut illis iustior appareret. Item non quod nostra iniquitas addat iustitiam Deo, sed in tempore quando in iudicium cum Deo venimus, non observantes praerogativa ejus, promissionem retributionem fraudamus. Unde ostenditur Deus verax: quia quae promissit sanctis, peccatoribus non dat.

Qui infert iram? Ut in diluvio & Sodoma, ita in iudicio.

Secundum hominem dico: Absit. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Secundum te, qui taliter sentis. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Quia iustitia damnabit iniquitiam: si, secundum te, humana iniquitate sit iustior.

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius. Hoc est, crevit.

Quid adhuc & ego. Hoc est, insuper iudicor ego quicumque mentior homo, qui laudari deberem, si meo mendacio, Dei veritas comprobatur.

Tanquam peccator iudicor? Et non sicut blasphemamur: & sicut aiunt quidam nos dicere. Ut qui me ita iudicat qua peccantem, & non sicut quidam nos aiunt dicere: quod quanto majora mala fecerimus, tanto majora bona recipiamus.